

NICOLAI PEROTTI
REFUTATIO DELIRAMENTORUM
GEORGII TRAPEZUNTII.

Mit dieser Schrift wandte sich Niccolò Perotti gegen die Angriffe, die Georgios Trapezuntios auf Bessarions *In Calumniatorem Platonis* hatte ergehen lassen. Trapezuntios hatte seine Schmähschrift durch seinen Sohn Andreas sogar der Universität Paris vorlegen lassen. Seine albernen Ausstellungen waren, wie Wilhelm Fichet, Professor der Pariser Universität, an Bessarion mitzuteilen wußte, sogar schon in weitere Kreise gedrungen.¹ Die Gegenschrift des Trapezuntios ist bis jetzt noch nicht wieder zutage getreten. Ein Bild von ihr läßt sich aber aus den Auszügen Perottis gewinnen. Danach stellt sie sich als ein Machwerk ganz gewöhnlicher Art dar. Trapezuntios als Verfasser der *Comparationes* spielte den Beleidigten. Er wußte im einzelnen nur zu sagen, wie ihn Bessarion falsch verstanden und verleumdet habe. Mit diesen Klagen setzt sich Perotti des längeren und breiteren auseinander (c. 1—63). Für denjenigen, der Bessarions *In Calumniatorem Platonis* nur einigermaßen kennt, mag diese aufgewandte Arbeit fast überflüssig erscheinen, denn es handelt sich bei den Ausstellungen geradezu um nichtige Dinge. Dem Zeitgenossen und Freund Bessarions waren sie schlimm genug, zumal das Auftreten des Trapezuntios in vielen Punkten nicht einwandfrei gewesen ist.

Die Schrift Perottis ist die typische Humanisteninvektive. Sie geht mit Georgios ganz gehörig ins Gericht. Seine Angriffe auf Bessarion waren voll böser Gesinnung. Sie kennzeichnen ihn ebensogut wie seine frühere Schmähschrift gegen Gazes. Auch diese war Perotti nicht unbekannt. Deswegen fehlt es bei diesem auch nicht an Grobheiten. Aber wir erfahren auch reichlich viel Einzelheiten, die den Gegner kennzeichnen und das bestätigen, was auch andere über ihn gesagt haben, wie die Überreichung des *Almagests* an Mohammed II. als eines neuen Werkes, mit dem er früher bei Nikolaus V., Fernando von Neapel und Sixtus IV. schon trübe Erfahrungen gemacht hatte.² Erwähnt werden weiter seine Angriffe auf Guarino, Poggio, Lorenzo Valla und

¹ Fichets Brief an Bessarion vom 13. Dezember 1470 bei E. Legrand, *Cent-dix lettres grecques de Fr. Filelfe*. Paris 1892, im Anhang n. 11, p. 249. Vgl. Band I. 387.

² *Hodius De Graecis illustribus*. Ed. Jelb. Londini 1742 p. 112 s. 116.

Gazes (c. 39. 92), auch daß er wegen verschiedener Schandtaten schon dreimal im Gefängnis gesessen habe (c. 75). Ausführlich werden die niedrigen Schmeicheleien aufgedeckt, die Trapezuntios, um sich aus seiner Geldnot zu sichern, in seinem Brief dem Sultan Mohammed dargebracht hatte (c. 64—81).

Schließlich bringt Perotti noch die Schmähungen zur Sprache, die Trapezuntios in seinen *Comparationes*¹ gegen die abendländische Welt, gegen Fürsten, Bischöfe und Geistlichkeit erhoben hatte (c. 84—91). Bessarion habe das bei seiner vornehmen Art in seinem rein sachlichen Werk gar nicht gerügt. Perotti macht noch darauf aufmerksam, wie Trapezuntios solche Ausführungen in seiner Druckausgabe nachträglich wieder gekürzt hat, um Anstoß zu vermeiden. Dafür teilt er die unterdrückten Stellen in seiner Schrift ausführlich mit. Hier wäre eine Überprüfung der Handschriften — eine liegt vor im Escorial, Cod. lat. c. IV 15 — mit der Druckausgabe der *Comparationes* vorzunehmen.

Die Invektive Perottis, von dessen Schriften das meiste noch ungedruckt in italienischen Bibliotheken liegt, hat ihre Bedeutung für die Geschichte des italienischen Humanismus. Sie zeigt aber auch ihren Verfasser, das Urteil G. Voigts bestätigend, „als philologischen Gelehrten“, „nicht als Schöngeist“.²

Perottis Schrift ist in folgenden Handschriften überliefert:

- a) Venedig, Bibl. Marc. Cod. lat. VI 210, fol. 4—19^v (= M).
- b) Rom, Cod. Vat. lat. 2934 I, fol. 219—237^v (= B).

M (Cod. chart. XVI. saec.), auf dem vorliegende Erstausgabe beruht, bietet einen recht sorgfältig geschriebenen Text ohne nennenswerte Fehler. Seine orthographischen Besonderheiten (quom, quor, quoi für cui, optinere, delyrare, phanum u. ä.) konnten hier nicht beibehalten werden. Im übrigen vgl. dazu I. Morelli, *Codices manu scripti latini bibliothecae Naniae Venetiis* 1761, p. 51—53. **B** (Cod. chart. 12 × 15 cm, XVI. saec.) bietet nur ein Bruchstück der Schrift von Seite 360, 33 »Ad excellentissimum, . . . bis zum Schluß. Für den Text liefert er keine Bereicherungen.

¹ Georgii Trapezuntii *Comparationes philosophorum Aristotelis et Platonis*. Venetiis per Iacobum Pentium de Leuco 1523.

² Über Niccolò Perotti vgl. G. Voigt, *Die Wiederbelebung des classischen Alterthums oder das erste Jahrhundert des Humanismus*. 3. Aufl. Berlin 1893, II 133—137 u. ö. Dazu G. Zippel, *Giunte e correzioni*. Firenze 1897, 51. — L. Pastor, *Geschichte der Päpste*, II, Freiburg i. Br. 1904, 667 n. 1.

Refutatio Deliramentorum

Georgii Trapezuntii Cretensis.

Evomuit tandem Trapezuntius Cretensis conceptum animo virus 1.
 5 et post multorum dierum sparsa per totam urbem tonitrua aliquando
 pluit. Parturiunt montes et enixi sunt non ridiculum murem, ut in
 proverbio est, sed chimaeram quandam prima parte leonem iracundiae
 flammam emittentem, postremo draconem spirantem toxica, media
 capram caprinum olentem. Contemnit hunc vir gravissimus Bessario,
 10 nec sibi certandum censet cum homine deliro, rabioso, furibundo,
 vesano, non rationibus, sed venenis, non verbis, sed sibilis, non simplici,
 sed trifida et plane serpentina lingua utente. Verumtamen declarandum
 a nobis breviter censuimus, quanti momenti sint adnotationes, quas
 nuper adversus praeclarum Bessarionis opus edidit, quo et ceteri
 15 ignorantiam, stultitiam ac perversitatem hominis intelligant, et ipse
 sentiat se de patella, ut aiunt, in prunas esse delapsam, quamquam
 scio plerosque doctissimos et eloquentissimos viros accingere sese, ut
 hominis huius inscitiam partim publicis disputationibus, partim prae-
 clarissimis scriptis ostendant, quo meritum arrogantiae et temeritatis M 4^v
 20 suae praemium non modo apud praesentes, sed etiam apud posteros
 consequatur. Verum nos quidem, ut res dilucidior sit, primo adnotationes
 eius per ordinem ponemus, et dein singulis responsiones nostras ac-
 commodabimus, quamquam infici nescio quomodo illius barbarie nostri
 libelli puritas videatur.

25 In folio I, facie I: »Calumniatur ecclesiam et sanctos doctores, quod 2.
 utantur praesidio Platonis et afferant testimonium eius ad confirmandam
 fidem nostram.«

In folio XXIV, facie II: »Basilus, inquit, Gregorius, Cyrillus,
 Gregorius alter, apud Latinos Hieronymus, Augustinus sunt auctoritate
 30 philosophorum et maxime Platonis.«

Si hoc calumniari fidem vocas, insulsissime ac mordacissime homi-
 num, certe non Bessario, sed ii, quos commemoras, praeclara lumina
 religionis nostrae, sunt, qui eam calumniantur. Lege enim in his libris,
 in quibus te ista notasse gloriaris, quid Dionysius summus theologus,
 35 quid Gregorius Nazianzenus, quid Aurelius Augustinus, quid ceteri

doctores sanctissimi loquantur. Lege Eusebii, quem e graeco in latinum convertens mille in locis pervertisti, undecimum, duodecimum et tertium decimum librum, et intelliges, si tamen intelligere quicquam amplius potes, quam multis magnisque in rebus Plato philosophus cum fide catholica et christiana religione conveniat, et rectene sanctissimi viri 5 testimonia eius usurparint. Quodsi eos propterea damnandos censes, auctoremque cum talibus viris errare permitte. Nobis libuit praeter cetera testimonia, quibus in opere suo usus est Bessario, unum dumtaxat Aurelii Augustini adducere. Is libro octavo de civitate Dei sic inquit: »Mirantur autem quidam nobis in Christi gratia sociati, cum 10 audiunt vel legunt Platonem de Deo ista sensisse, quae multum congruere veritati nostrae religionis agnoscunt.« Nunc ad reliqua pergamus.

3. Folio XXVII, facie I, iuxta finem: »De trinitate per Platonem ex auctoritate Porphyrii.«

Id facit auctor, quod praestantissimi doctores ecclesiae faciunt, 15 dum testimoniis exterorum conantur nostra confirmare, quales sunt Plato, Porphyrius, Plotinus et ceteri gentiles. Pulcherrimum enim victoriae genus est, cum ipsorum armis hostes expugnamus et eos ostendimus vi veritatis coactos, quae etiam ab invitis pectoribus erumpit, nostra probare. 20

4. Folio XXVIII, facie I: »Principia quaedam verae theologiae ex Platonis scriptis surgere.«

M 5 Quid hoc mirum est? Nonne verissima theologiae principia sunt, quae de unitate divina, quae de summa simplicitate, quae de infinitate et reliquis huiusmodi Plato disseruit? Quid hic erroris, quid vitii est 25 etiam apud iudices iniquos?

5. Folio XLVI, facie I: »Alienum esse a divina natura quicquam agere propter salutem hominum, quod dici ait ab Aristotelicis.«

En hominis improbitatem! Quae hic adducit auctor, verba sunt Alexandri Aphrodisiensis, qui inter Aristotelicos maximus habetur. Hic 30 enim dum de divina providentia ex Aristotelis sententia loquitur, haec et alia his similia adducit indigna, quae de divina maiestate referantur. Quae ideo commemorantur ab auctore, ut, quid inter Platonis et Aristotelicorum de divina providentia opiniones intersit, omnibus ostendat. Calumniator vero omnium, qui umquam fuerunt, calumniatorum maxi- 35 mus verba Alexandri tribuit auctori nec videt se per imprudentiam Aristotelem et Aristotelicos, quos tueri nititur, reprehendere atque damnare.

6. Folio LX, facie II, in principio: »Naturae consentaneum esse primum deum a nullo esse creatum, secundum a primo creatum, tertium 40 a secundo. Quae sancti quodammodo admittunt. Unde adversarius, inquit, ignorat, ordinem quemnam servat. Et nonnulli admittunt doctores

sancti, ut creandi potentia creaturae quoque possit communicari et una creatura producere alteram possit.»

Adducuntur ab auctore philosophi, adducuntur sancti doctores, qui ista scripsere. Lege diligentius libros eius, et vel doctores accusa
5 sanctissimos, ut putas, ut religio tua manifestior fiat, vel labrum morde, aut instar Stesichori cane Palinodiam. Ideo vero haec dicta sunt, ne quis miretur, si philosophi a vera religione alieni, dumtaxat naturali scientia ducti, haec et loquuntur et sentiunt.

In folio LXIV, facie I: »Deus, inquit, ut est ens perfectum, non
10 protendit ad infinitionem.»

Dictum est Deum, qua ratione perfectus dicitur, non dici infinitum. Duobus enim modis considerari Deum posse, sive ut ens infinitum, sive ut ens perfectum, quo per eam distinctionem servetur finiti ab infinito creatio. Haec autem divi Thomae sententia est. Quid ergo
15 stomacharis? Quid beatum doctorem persequeris? Itane oculos tuos praestringit livor et malivolentia et naturae perversitas, ut quid agas, in meridiana luce non videas?

Folio XXXIII, facie II, iuxta finem: »Animam et ideas a primo
20 creatore dicitur secundo creatori ad rerum sensibilibus creationem <communicari>.»

Velles, opinor, quod tu facis, omnes facere, et in alligandis auctorum
M 5^v opinionibus instar falsariorum corrumpere illas atque pervertere, quemadmodum nuper in his fecisti, quae adversus Platonem colligere conatus es. Quale est illud Ciceronis e Tusculanis quaestionibus, ubi
25 addidisti suaviationses puerorum puellarumque, quae verba, ut a Ciceronis lingua aliena sunt, ita nusquam in libris eius inveniuntur, nisi quem tu forte corrueris, improbissime hominum, qui honestissima maiorum nostrorum opera tuis spurcissimis manibus foedare non erubescis. Atqui Bessario priscorum opiniones fideliter recitat. Quapropter, si Platonis
30 sententias, quales ille scripsit, refert, cur reprehendi meretur? Tu potius qui libros falsas, fustuario dignus es, levissime transfuga.

In folio XXXVIII, facie II: »Materiam aeternam esse et Deum
aeternum. Negatur tamen non esse coaeternam Deo materiam.»

Haec quoque accusatio tua praecedenti similis est. Opinio enim
35 dumtaxat Platonis refertur, quam Boethius quoque, vir doctissimus, in libro de consolatione recitat, quae quamvis a nostra religione aliena sit, quatenus ad aeternitatem spectat, in hoc tamen nobiscum convenit, quod vult materiam a Deo esse creatam. Hoc enim est, quod eam facit non coaeternam.

Folio VII, facie I: »Quid Cicero, Augustinus et ceteri, quod Deus
40 non creat per infinitam potentiam, sed quia sua potentia commensatur rei creandae? Quae ratio, inquit, confirmatur creatoris ad creaturam proportionem.»

Si non stomacho, sed ratione uteris, si te morbus animi non penitus obcaecaret, considerares profecto diligentius verba ista et divi Thomae sententiam melius inspiceres, cuius non modo opinionem sequitur auctor, sed et verba usurpat.

11. In folio LXXXIV, facie I: »Trinitatem esse in rebus naturalibus, 5 sed non in causa.«

Haec quoque doctorum nostrorum speculatio est et contra te aptissime profertur, qui velle videris ex quacumque trinitate in creaturis inventa posse intelligi in causa esse trinitatem. Quippe secundum rectam fidem creaturae unitatem divinam repraesentant, non trinitatem. Tu 10 vero et sententiam et verba auctoris pro tua consuetudine pervertis, ut calumnia tua ubique manifestior sit.

12. In eodem folio et facie I, in ipso faciei principio: »Quod Deus non perficitur trinitate.«

Cur integrum locum non affers, homo maligne? Quid duo tantum 15
M 6 verba adducis, ne auctoris sensus intelligatur? Enimvero multa rectissime scripta sunt, quae si a calumniatoribus per fragmenta recitentur, perversam habere sententiam videntur. Quod in praesentia accidit. Sed lege parumper, quae sequuntur. Etenim cum tu ita argumentareris ex Aristotelis sententia: Deus cum ternario res suas perficiat, ut ipse 20 quoque ternario perficiatur, oportet, auctor ex eiusdem Aristotelis sententia tibi respondet hoc minime sequi, ut ternario perficiatur Deus, et rationes adducit. Doctores tamen nostri, quemadmodum supra diximus, ita sentiunt creaturas non trinitatem, sed unitatem Dei repraesentare. 25

13. Folio LXXXV, facie I: »Trinitatis, inquit, nec finis est nec efficiens causa.«

Hoc simili modo abs te corruptum ac depravatum est. Neque enim simpliciter dicitur trinitatem non esse finem, sed non esse talem finem, qualem tu, adversarie, existimas. Nam tu quidem ex Aristotelis sententia 30 aequae in Deum cadere finem atque efficiens opinaris, et ita colligis: est finis ergo et efficiens. Idcirco tibi auctor ex eiusdem Aristotelis sententia respondet, ostendens prius, quando secundum Aristotelem finis atque efficiens in idem cadant. Quod nisi talis esses, nisi praenimia bile obcaecati tibi oculi forent, legeres rationes in medium ad- 35 ductas, ex quibus manifeste colligi cerneres nolle Aristotelem, quod Deus talis sit finis, qualem ipse existimas, hoc est aequae cum efficiente cadens, quandoquidem efficientem quoque causam iuxta quorundam opinionem non ponit, ut paulo post declaratur. Haec igitur ratio est, cur nec finis nec efficiens causa dicatur. 40

14. Folio LXXXV, facie II: »Rationes nostras de tribus agentibus: Deo, natura, arte, ut suas eripit.«

Quid somnias, decrepite senex? Quid deliras? Quid desipis? Non eripit auctor abs te hanc rationem et sibi ascribit, sed inter tua argumenta ponit, quamquam non tua haec ratio est, sed a sacris doctoribus ad verbum sumpta, ut furari semper aliorum dicta consuevisti. Deducunt
 5 tamen illi rationem ipsam longe praeclarius, quam tu facere scivisti. Lege Scotum secundo libro, distinctione prima, quaestione secunda, et eam reperies. Itane arrogans es, tantumne tibi tribuis, ut surripere rationes tuas Bessarionem existimes? Homo stultus, perversus, imperitus, rudis, hebes et effigiem dumtaxat hominis habens! Neque
 10 hoc ideo dicemus, quia ratio ista bona non sit principiis nostrae fidei M 6^v concessis, sed quia necessarium auctori non fuit ea ratione uti; quin potius, quia tu eam ex Aristotelis sententia protuleras, auctor ex eiusdem philosophi opinione eam refutavit, quam Scotus quoque nequaquam satis esse existimat ad probandam creationem ex nihilo, quatenus
 15 praepositio ex durationis ordinem significat.

Folio LXXXVIII, facie I, iuxta finem: »Cuiusdam auctoritate 15. probatur, quod quae necessaria sunt, non sunt a Deo, quemadmodum a causa efficiente.«

Ericis Gandavii ea sententia est, docti hominis atque eruditi, qui
 20 ad verbum hoc ex opinione Aristotelis dicit hanc fuisse eius philosophi sententiam ostendens, ut quae necessaria sunt, non sint a Deo tamquam ab efficiente. Refertur ergo Aristotelis opinio, non probatur.

Folio LXXXIX, facie II: »Aggregatorum naturam entium causam 16. esse.«

25 Non dicitur aggregatorum naturam entium causam esse, ut tu pro more tuo omnia pervertis; sed quoniam Aristoteles opinatur Deum non nisi per caelum agere, quemadmodum expositores eius omnes testantur, affirmat auctor, quando ab Aristotele dicitur naturam ex Deo dependere, hoc ex aggregati, de quo loquimur, natura debere
 30 intelligi, hoc est unius ex Deo et caelo constituti naturam secundum hunc philosophum tamquam ex causa dependere, et hanc cunctorum, quae fuerint, causam esse. Etenim secundum Aristotelem nec Deus sine caelo tamquam efficiens causa aliquid facit, nec caelum sine Deo, sed Deus per caelum, et caelum ex Deo ut dependens producit
 35 effectum.

Folio LXXXIX, facie II: »Quod Deus omnia facit per caelum.« 17.

Iam dictum est hanc Aristotelis opinionem esse etiam expositorum eius sententia. Quae ideo referuntur, ut intelligas, quam recte sentis, qui non modo inter Christianos ponis Aristotelem, sed etiam sanctis
 40 viris adnumeras et te desideras cum eo collocari.

Folio XC, facie I: »Quoniam Deus, inquit, nihil immediate facit, 18. ut ostensum est, frustra sic arguitur.«

Hoc quoque eiusdem generis est. Nihil enim differt facere per caelum et non immediate facere. Sed tu, quo plura notasse videaris, ex uno plura facere non putas absurdum.

19. Folio XC, facie II: »Negatur Deum esse omnipotentem secundum Aristotelem. Nec id sequi, cum sit actus purus.« 5

Sancti omnes ecclesiae doctores hoc de Aristotele et ceteris philosophis sentiunt, nequaquam scilicet eos existimasse eam in Deo omnipotentiam esse, quam nos proprie arbitramur. Res igitur tibi non cum Bessarione est, sed cum sanctis doctoribus, cum quibus Bessario sentit. Illis repugnandumne sit, tu videris. 10

20. Folio XCI, facie I: »Impossibile est ipsi Deo, ut quicquam ex nihilo faciat.« Et paulo post: »Non conceditur dari primam causam efficientem in ordine causarum efficientium. Et additur se negare, si causa efficiens prima daretur, nihil eam praesupponere.«

Haec ab auctore ex sententia Aristotelis dicitur, ut, quam alienus a nostra religione fuerit, quamque de eo tu pueriliter sentias, si non ipse, saltem alii, qui perturbatione animi carent, possint intelligere. 15

21. Folio XCII, facie II: »Non potest Deus omnem effectum causare immediate.« »Item mundum necessario et naturaliter a Deo dependere constat.« 20

Hoc quoque saepius dixisti, etiam ter a nobis tibi responsum est hanc fuisse Aristotelis opinionem, idque non modo expositores eius, sed omnes fere doctores existimare.

22. Folio XCIII, facie I: »In Deo, ut asserit, idem est esse et agere.«

Quid ergo? An tu contrarium asseris? Vellem te non tantum notare loca, sed rationes etiam, cur ea notes, adducere. Alioquin hoc nihil aliud est quam minari, quod est timidi hominis argumentum. Generosus animus et suae virtutis suae conscius non verbis hostem territat, sed armis aggreditur. Canis, qui latrat, parum se audere ostendit. Tunc existimas differre in Deo esse et agere? At hoc plane impium est. Omnes enim tam philosophi quam sancti doctores idem esse in Deo ponunt essentiam et potentiam et actum. Praeterea, quod accusas, philosophorum argumentum est ad verbum a Scoto sumptum, ut ostendatur illos existimasse Deum naturae necessitate agere. Utrum igitur philosophos omnes, an Scotum, an libri huius auctorem, an potius te ipsum accuses, non video. 30

23. Folio XCIV, facie I: »Omnia dependere a Deo, sicut una pars naturae ab altera, et Deum esse quid aggregatum.«

Hoc iterum replicas. Sed scias velim, cum ex primo mobili et eius motore, hoc est Deo, unum aggregatum Aristotelis opinione constituitur et universa natura agens intelligi possit tamquam unum aggregatum sive unitum ex Deo et natura constitutum, aperte secundum eundem sequi, ut universi pars altera sit ipse Deus, altera caelum 40

ipsum atque natura simpliciter accepta. Quae quidem non per se stat, sed a Deo dependet quasi naturae universae parte praecipua suo modo et genere. Verba ergo et argumenta tua, quae Aristotelis esse dicis, secundum illius sententiam exponuntur.

5 Folio XCIII, facie II: »Voluntatem Dei non esse liberam.« 24.

Et hoc pro tuo more pervertis. Neque enim ab auctore dicitur M 7^v voluntatem Dei liberam non esse, sed Deum secundum Aristotelem non libera voluntate, quam ipse προαιρεσιν vocat, agere, verum naturae necessitate.

10 Folio XCVI, facie I: »Quam Plato dicit animam mundi, eam nos 25. spiritum sanctum dicimus.«

Haec non auctoris, sed cum aliorum doctorum, tum divi Cyrilli adversus Iulianum verba sunt, qui hoc quasi maximum contra gentiles spiritum sanctum non credentes argumentum adducunt, quod Plato 15 summus philosophus non modo patris et filii, creatoris et patris creatoris, sed etiam spiritus sancti mentionem fecerit, quandoquidem tertium deum posuit animam mundi.

Folio CII, facie II: »Angelos actu intelligere, nihil in potentia.« 26.

Non auctorem, sed sanctos doctores, qui hoc dicunt, accusa et 20 rationes, quae sequuntur, diligentius lege.

Folio CVII, facie II: »F . . . animam praeesse corpori ex se ipso 27. asserit.«

Quid hoc loco dicas, intelligi satis non potest. Illud scio, quod, cum tu animam intellectivam posuisses ex opinione Aristotelis cum corpore 25 simul creari, numquam tamen defecturam, auctor eam sententiam Aristotelis esse negavit, cum secundum eum aut corruptibilem esse oporteat, si incepit, aut numquam incepisse, si incorruptibilis est. Nemo enim quantumlibet rudis atque indoctus ignorat generabile cum corruptibili et ingenerabile cum incorruptibili Aristotelis opinione converti.

30 Folio CIIII, facie I: »Quod Plato non sit conceptus ex spermate 28. viri.«

Ubi hoc Bessario dicit, teterrimum caput et omnium, quos terra sustinet, hominum mendacissime? Non sunt haec auctoris verba, quae profers. Sed praeterire se dicit auctor, quae fere a Latinis et Graecis 35 omnibus de Platone dicuntur, quod scilicet mater eius daemonis cuiusdam aspectu conceperit, et alia quaedam huiusmodi, quae referri alioquin sine reprehensione ab auctore potuisset. Primo enim non statim probari haec censenda sunt, dum referuntur, quemadmodum divus Hieronymus, dum hoc de Platone narrat, non probat. Secundo non 40 propterea sequeretur miraculum in eo conceptu fuisse. Postremo non esset necessarium idcirco fateri de virginis utero natum esse Platonem, quod simulas te sentire, ut scuto fidei, quando rationibus non potes, terreas viros fortes. Sed deterrere fortasse illos posses, qui in fide

suspecti sunt, qualis tu es, Turcorum impurissime assecla et christiana
reipublicae proditor, quam crudelissimae barbarorum servituti subiicere
voluisti, ut tuae nefandissimae litterae declarant, quarum testimonia
in calce huius operis citabimus. Habent doctissimi viri theologi nostri
M 8 faunorum et satyrorum et aliorum daemonum cognitionem, quos 5
propriis vocabulis succubos atque incubos vocant et gigni ab iis eo
modo posse filios putant, quo Martinum quendam Britannum natum
aiunt. Quae res et disputata publice in Parisiensi gymnasio fuit et
totius collegii auctoritate conclusa. Quodsi Platonem sui hoc modo
natum censent, liceat eis sentire, ut libet. Auctor profecto et mallet 10
Platonis gratia et ita sentit Aristonis eum filium fuisse.

29. Folio XVI, facie II: »Syllogismum Platonis probare videtur, quo
animus sit ingeneratus.«

Ostendit auctor Platonem animam immortalem posuisse ideoque
ingeneratam, et ad id ostendendum argumenta eius adducit, quae 15
quatenus ad animae immortalitatem attinent, probantur. Quod a cete-
ris etiam doctissimis viris factum est, quippe tam haec, quam alia aliis
in locis praecipua videri dicuntur suis gentilibus, qui propter eandem
fidem principia eius suscipiebant.

30. Folio XXIII, facie II: »Platonis, inquit, sententias sacrosancto 20
ore dictas demonstrabo.«

Atqui hoc falsum est et abs te inique, malevole, petulanter, nefarie
prolatum, instar perditissimorum haereticorum, qui sententias sacrae
scripturae per frustra ac fragmenta accipientes illas corrumpunt ac
depravant. Non dicit auctor, o perfidissime calumniator, demonstraturum 25
se Platonis sententias sacrosancto ore dictas, sed cum modum ex-
posuisset, quem in opere suo servaturus erat, promittit sese ipsius
Platonis verbis atque auctoritate ostensurum falso tantum philosophum
reprehendi. Mox vero subdit, quod, si eiusdem Platonis sententias
demonstraverit etiam doctorum ecclesiae sacrosancto ore probari, nihil 30
dici maius poterit. Tu vero sacrosanctum os, quod de sanctis doctoribus
dictum est, ad Platonem transfers nec vereris ad sanctissimum ponti-
ficem scribens tam aperte mentiri, monstrum horribile nostrae aetatis,
pistrino sive ergastulo dignum. Abi hinc in malam crucem et virus
istud pestiferi pectoris apud inferos evome! 35

31. Folio XXIII, facie I: »Verbum est Deo non convenit, nec erat,
nec erit. Tamen illi attribuit principium evangelii Ioannis.«

Quam inanis et frivola et iniusta reprehensio! Sententiae istae
de simplicissimo Deo et verba eis convenientia usque adeo a nostris
doctoribus probantur, ut iisdem etiam verbis usi fuerint, quemadmodum 40
ex ipso auctoris libro manifeste intelligi potest. Hic vero omnium rerum
ignarus et hominis potius phantasma quam homo contradictoria in Deo
M 8^v esse existimat: non erat et erat, non erit et erit, non est et est. Quodsi

caput nihili praeterquam furoris capax eiecto parumper furore nonnihil resipisceret, profecto intelligeret haec divinae naturae convenire, quae supra omne tempus est, verba vero illa: erat et est et erit humano sermoni accommodari, quandoquidem de divinis rebus loqui alio modo
5 non possumus.

Folio XXIII, facie II: »Platonem optime sensisse scripsisseque 32. asseritur luce dumtaxat naturae illustratum.«

En iterum orationem truncas, o egregie sycophanta et vitiorum omnium gurges atque helluo, natus sceleri, natus flagitiis, natus calumniis,
10 non virtuti, non laudi, non gloriae. An speras ita vel desides vel ingenio obtusos homines fore, ut versutiam ac pravitatem tuam aliquando non intelligant? Falleris profecto, si ita sentis. Non simpliciter ab auctore dictum est sensisse optime atque scripsisse Platonem, sed de unitate et simplicitate primi entis sive primi dei optime et sensisse et scripsisse.
15 Quod usque adeo verum est, ut sancti doctores de eodem loquentes iisdem plane verbis fuerint usi. In multis autem tantum abest, ut Platonem vel probet auctor vel sequatur, ut se e contrario facere apertissime protestetur, ut folio XXIII, pagina secunda videri liquido potest; iuvat enim nos quoque folia notare, ut tu facis. Quin etiam plerisque
20 in locis affirmat neque hunc neque Aristotelem Christianos fuisse, nec sequi eos in omnibus oportere.

Folio XXVI, facie II: »Secundum deum a primo creatum et a 33. se ipso, tertium a secundo et a se ipso.«

Et abs te dictum hoc superius est, et a nobis declaratum. Adeo
25 quidem fecundus es, ut ex uno monstro multa producas.

Folio XXVI, facie I: »Quod sol sit filius summi boni.« 34.

Platonis verba haec sunt, ineptissime hominum, non auctoris, et qua intentione ab eo dicta sint, facile, qui non tanta bili agitabuntur, intelligent.

30 Folio XXVII, facie I et II: »Numenii et Amelii Platoniorum aucto- 35. ritate utitur in theologia.«

Facit id Bessario libenter, semperque, quantum in eo erit, faciet. Etenim nullum maius adversus gentiles argumentum habere potest quam testimonia gentilium philosophorum, quibus sancti doctores,
35 quotiens possunt, libentissime utuntur.

Folio XXVIII, facie I: »Multa sunt non recte dicta, quamquam 36. verae theologiae principia quaedam a Platone orta sunt.«

Quae sint multa illa non recte dicta, non profers. Ut inanibus minis terras adversarium, quod unum profers, superius quoque abs M 9
40 te notatum est, et a nobis tibi responsum. Etenim pro morte tuo saepe eadem conculcas sive oblivione senili, seu malignitate naturae.

Folio XXVIII, facie II: »De fide. Quod Plato hortatur credere, 37. sicut filii deorum nobis dixerunt.«

O te stultum, qui hoc reprehendis! Equidem non miror, si Bessario, quae viri gravitas est, ineptias tuas potius fastidiendo calcare, quam verbis refellere dignum putat. Quid enim dici ab eo poterat, quod aequè pro Christianis faceret. Nam si irridere nos gentiles solent, quod sine demonstratione aliqua res minime verisimiles credamus, et nos assertores ac locutuleos vocant, ut Averroes Arabs facit, quonam modo refellere eos melius possumus, quam si principem philosophorum ostendamus admonere mortalium genus, ut iis credant, quae deorum suorum filii sine demonstratione tradiderunt? Etenim si gentiles de falsis diis ita statuunt, quanto magis a nobis credi debent, quae verus filius veri Dei nobis revelavit? At Cretensis noster hoc notat, hoc carpit, hoc damnat. Omnia suo foedissimo ac contaminatissimo spiritu polluens et optima quaeque decerpens, ut ea prosequatur atque inficiat. Sed quomodo tolerare amplius hoc monstrum, viri docti ac studiosi, potestis? Insurgite, insurgite in eum aliquando, et catenate delirum senem ac perpetuae glebae ascribite.

38. Folio XXX, facie I: »Intelligentias alias ab aliis productas.«

Semel, bis, tertio abs te hoc dictum est. Enimvero si ita augere numeros tuos scires, ut verborum tuorum portenta multiplicas, non egeres subsidio Turci, quem litteris hortaris, ut te pecuniis adiutum ad se vocet, quo ei modum subiugandae Italiae patefacias. Sed mihi crede, quemadmodum tibi prae nimia avaritia accidit, ut, dum augere per faenus pecuniam conaris, etiam primam summam amiseris, ita prae nimia temeritate et desiderio multiplicandarum adnotationum eveniet, ut pariter omnibus rationibus tuis quam facillime et quam turpissime excidas.

39. Folio XXXII, facie I: »Multa Platonis et Philonis dicuntur, quod Deus ex inordinatione in ordinem solum reduxit.«

Merito beatus Paulus Epimenidis dictum de Cretensibus videtur probasse, dum eos vocat mendaces. Ita certe frequenter mentiris, ut si quis et patriam tuam ignoret, facile suspicari possit te Cretensem esse, nec sit, qui habere tibi fidem amplius queat, etiam dum mentiri te dicas, dignus profecto, qui non fustibus, quibus liberi homines caedi solebant, sed flagellis, quibus mancipia vapulabant, usque ad sanguinem excrucieris. Idcirco ab auctore dicta illa Philonis de inordinatione adducuntur, ut Philonis auctoritate probetur cum Moyse et catholica religione sentientis verba haec Platonis de inordinatione, cum ab ipso eo modo quo a Philone dicantur, non praesesse materiam significare, sed via generationis dumtaxat procedere, et tamen simul cum formis a Deo produci. Tu vero, quamvis haec ita dici non ignores, tui tamen dissimilis esse et a calumniis abstinere non potes, homo dumtaxat ad maledicendum natus, cuius dum vultum aspiciamus, iracundiam cum arrogantia atque invidia in ipso sedere existimamus. Sic olim Guarino, sic Poggio, sic Laurentio Vallae, sic nuper Theodoro

Gazae, clarissimis nostri saeculi viris, maledixisti, aetatis nostrae immanissimum ac foedissimum monstrum. Sed illorum quidem auxisti laudem et gloriam, tibi vero perpetuum dedecus atque ignominiam peperisti, cum te iam omnes etiam mulierculae et pueri digito tamquam
5 furentem ostendant, nec aliquis sit inter bonos et doctos viros, qui te non fugiat oculis, non respuat auribus, non toto animo ac totis praecordiis exsecretur.

»Vulcanus, ut Plautus inquit, Sol, Luna, Dies, dii quattuor scelestiorem nullum illuxere alterum.«

10 Folio XXXII, facie II: »Aperte dicitur Deum mala facere, ut bona 40. veniant aliqua de causa.«

Mentiris rursus, o furcifer, et ut in proverbio est, facta atque infecta narras. Perlegeram diligenter Bessarionis libros. Nunc denuo eos evolvi, et non modo locum, quem tu notas, sed totum opus perlustravi. Nihil
15 ab eo tale dictum invenio, nihil tu, si diligentius legis, invenies.

Folio XXXIII, facie II: »Iterum de materia et ideis datis secundo 41. creatori a primo.«

Rursus eadem revolveris. Non satis fuit ter ista dixisse, nisi quarto etiam repeteres. Eleganter poëta facetissimus inquit:

20 »Edita, ne brevibus pereat mihi cura libellis,
dicatur potius τὸν δ' ἀπομειβόμενος.«

Eodem consilio tu quoque, ut arbitror, quo magis opus tuum excrescat, Bessarionis id sententiis etiam saepius repetitis, quemadmodum ille unico Homeri versu, implere cogitasti. At nobis satis sit
25 semel tibi respondisse.

Folio LX, facie II: »Quod sancti quodam modo admiserunt, quae 42. Plato dicit de diis, secundo creato a primo et tertio a secundo.«

Hoc quoque saepius abs te repetitum est, nescio verum memoriae vitio, an potius quod inferorum te furiae agitent. M 10

30 Folio LX, facie II: »Quod creatio potest participari creaturis.« 43.

Quae insania malum totiens idem repetere. Nihil aspicias, modo librum augeas.

Folio LXIV, facie I: »Quod creatio et creatura proportionaliter 44. commensuratur.«

35 Si tibi in fronte cornua conspicerentur, quid ni te bovem existimaremus, cum bovinum habeas caput et ingurgitatum semel cibum totiens rumines.

Folio LXXVII, facie II: »Quod esse divinum producit creaturam.« 45.

In eodem: »Non sequitur, si in creatura sit trihitas, quod esse sit in
40 creatore.«

Hoc simili modo inculcas. A nobis vero responsum superius est iuxta sententiam doctorum nostrorum creaturam unitatem Dei, non